



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale, seu Institutio Sacerdotum, Ex Divinis Litteris Et Veterum Patrum Disciplina

Torres, Alfonso de

Ingolstadii, 1604

De temporalium contemptu. §. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48973)

conclauibus euaporare conatur, &c. *Cassianus l. 2. c. 10.*

In vnum tam innumerosa fratrum multitudo] Pluris fiet tam stupenda silentij observatio, si consideretur in illis *Aegypti cœnobis plusquam quinque millia fratrum intra vnum cœnobium ab vno Abbate regi, vt auctores sunt idem Cassianus l. 4. c. 1. S. Basilii in reg. fus. interrog. 35. S. Bonau. de reformatione animæ, l. 2. c. 23.*

De temporalium Contemptu.

§. VI.

SUMMARIUM.

SACERDOS moueri non debet temporalibus pœnis, quas vulgus formidat, & patitur. 1.

Nec laudibus, aut vituperiis, & quare. 25. 26. 27. 28.

Nec vulgi querelis, quando veram excusationem non admittit. 24.

Sed potius contemnere debet omnia, qui semel Deum prægustauerit. 29. 30.

Bona videlicet temporalia, terrena, & vana, & vitam ipsam. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 10. 30.

Tum etiam propinquos, amicos, & domesticos. 2. 14. 15. 16.

Et aduersa quæq; despiciere, & prospera formidare. 17.

Ignominia eius est, propriis studere diuitiis. 18.

Nudus

Nudus Sacerdos, totius mundi est Dominus. 8.

Arduum est, praesentia contemnere. 19.

Contemnenda tamen. 10. 11. 12. 13.

Quae qui contempserit, tristitiam effugiet. 20.

Verus philosophus diuitias contemnit. 21.

*Anima quanto delectatur infimis, tanto arcetur à sum-
mis; & è contra. 22. 23.*

Quae extra nos, nihil ad nos. 31.

Corporis epitheta. 30.

1 OMNIS domus Israël plangat incendiū, quod Dominus suscitauit: Vos autem non egredimini fores tabernaculi, alioqui peribitis; oleum quippe sanctae vnctionis est super vos. *Leuit. 10.*

2 Leui ait: Perfectio tua, &c. Qui dixit patri suo, & matri suae: Nescio vos. & fratribus suis: Ignoro illos. & nescierunt filios suos. hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt. *Deuter. 33.*

3 Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum, si de manu cuiusquam munus accepi: & contemnam illud hodie, restituamque vobis. *1. Reg. 12. Simile de Moyse Num. 16. de S. Paulo Acto- rum 20.*

4 Nolite declinare post vana, quae non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt. *1. Reg. 12.*

5 Cuncta subiacent vanitati, & omnia pergunt ad vnum locum: de terra facta sunt, & in terram pariter reuertentur. *Eccl. 3.*

Nolite

Nolite possidere aurum, neque argentum, ne- 6
que pecuniam in zonis vestris: non peram in via,
neque duas tunicas, neque calceamenta, neq; vir-
gam, &c. Dico autem vobis amicis meis: Ne ter-
reamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc
non habent amplius quid faciant. *Matt. 10. Luc. 12.*

Nihil vereor: nec facio animam meam pretio- 7
sorem quam me, dummodo consummem cur-
sum meum, & ministeriū verbi, quod accepi à Do-
mino Iesu, testificari Euangeliū gratiæ Dei. *Act. 20.*

**Nudus Sacerdos totius mundi dominus
est.**

NVDITAS rerum omnium curarum est deposti- 8
tio, securitas vitæ, viator omnibus impedimentis
liber, mæroris alienatio, mandatorum fides; nu-
dus Sacerdos mundi totius est Dominus. *s. Clima-
cus gradu. 16. de Avaritia.*

Clericus sæcularia contemnere debet.

CLERICVS, qui Christi seruit Ecclesiæ, interpre- 9
tetur primo vocabulum suum; &, nominis defi-
nitione probata, nitatur esse, quod dicitur. Si enim
κλῆρὸς Græce, Sors Latine appellatur, propterea
vocantur Clerici, vel quia de sorte Domini sunt;
vel quia Dominus, sors, id est, pars clericorum est.
Qui autem vel ipse pars domini est, vel Dominum
partem habet, talem se exhibere debet, vt ipse pos-
sideat Dominum, & possideatur à Domino. Qui
Dominū possidet, cum Propheta dicit: Pars mea
Dominus. nihil extra Dominum habere potest. *Psal. 19.*
Quod

Quod si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus: verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellectilem, cum istis partibus non dignatur Dominus fieri pars eius. Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis eius, nec accipio partes inter cæteras tribus; sed, quasi Leuita, & Sacerdos, viuo de decimis; &, altari seruiens, altaris oblatione sustentor, habens victum, & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar.

S. Hieron. Ad Nepotian. 12. q. 1. c. eod.

Sacerdos terrena despiciere tenetur.

10 SI Sacerdos pastor est, & populus oues, dignum est, vt in nullo appareat ouibus pastor dissimilis. Si instar mei, qui ouis sum, pastor meus, & ipse incuruus graditur, vultum gerens deorsum, & terram semper respiciens, & soli ventri mente ieiunus pabula quæritans, in quo discernimur? Væ, si venerit lupo, non erit qui præuideat, qui occurrat, qui eripiat. Decet ne pastorem, more pecorum, sensibus incubare corporeis, hære infimis, inhiare terrenis; & non potius erectum stare, vt hominem, cælum mente suspicere, quæ sursum sunt quærere, & sapere, non quæ super terram? *S. Bernardus epist. 42. ad Episcopum Senonensem.*

De eodem.

11 BEATVS Sacerdos, qui peregrinationis suę tempora casta sobrietate transcurrit, & in iis, per quæ necesse est eum ambulare, non remanet, vt hospes magis,

magis, quam Dominus terrenorum, nec affectibus sit innexus humanis, nec promissionibus desit diuinis. *S. Leo serm. II. de Quadragesima.*

De eodem.

NE nos terrenorum occupent species, nec ad se contemplationem nostram à caelestibus terrena deflectant: pro transactis habeantur, quæ maxima ex parte iam non sunt; & mens intenta mansuris ibi desiderium suum figat, vbi, quod offertur, æternum est. *Idem S. Leo serm. I. de resurrectione Domini.*

De eodem.

CONTEMNE viuens, quæ post mortem habere non poteris. *S. Bernardus de modo bene viuendi, serm. 53.*

Sacerdos impediri non debet propin-
quorum affectu.

Nos, qui Christum induimus, & facti sumus, iuxta Apostolum, genus Regium, & Sacerdotale, non debemus super mortuos cõtristari, &c. Mors nostra peccatum est. Et, quod forsan crudele alicui videatur, sed fidei necessarium est, in eodem Leuitico scribitur, quo modo Sacerdos magnus ad patrem, matrem, fratresque, vel liberos mortuos prohibeatur accedere: ne videlicet anima, Dei sacrificiis vacans, & tota in illis mysteriis occupata, aliquo impediatur affectu. *S. Hieron. ad Paulam de obitu Blasilla.*

Altaris minister fugere debet domesticos, & amicos.

- 15 HÆC est vera Sacerdotis fuga, abdicatio domesticorum, & quædam alienatio carissimorum, vt suis se abneget, qui seruire Deo gestit, &c. Fugitans igitur est suorum sacri altaris minister. Vnde Dominus, quasi Principes Sacerdotum, formam
- Mat. 12. Leuitis in Euangelio dans suo dixit: Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? hoc est, nõ agnosco matrem, non recognosco fratres, ignoro proximos. Mater mea, & fratres mei ij sunt, qui audiunt verbum Dei, & faciunt. Solum ergo verbum Dei nouit minister, cum eos nouit, in quibus operatur Dei verbum, & ideo exul est mundi, fugitiuus corporis, fugitans passionum, qui abdicat se
- s. Re. 19. omnibus, vt solus remaneat, sicut Elias dixit: Et ego relictus sum solus. cum quo erat Christus. s. Ambros. de fuga seculi c. 2.

De eodem.

- 16 QVI natus est Spiritu, Spiritu consecutus est filium Dei fieri: tunc iam pudet cognationis, quæ est secundum carnem; & propinquos agnoscit, qui sunt propinqui Dei. s. Basilius in reg. fus. interrog. 32. & de constit. monast. c. 21.

Aduersa quæq; despicienda Sacerdoti, & prospera formidanda.

- 17 DISCANT Sacerdotes fauores mundi fugere, terrores minime timere, pro veritate aduersa diligere,

gere, prospera formidando declinare: quia & ista per tremorem sæpe cor inquinant, & illa per dolorem purgant, &c. Nam plerumque aduersitatis magisterio sub disciplina cor premitur: quod si ad regiminis culmen eruperit, in elatione protinus vsu gloriæ permutatur. Sic Saul, &c. *S. Gregor. Pastor. p. 1. c. 3.*

Ignominia Sacerdotis est, propriis studere diuitiis.

S. Hieron. ad Nepotianum. Et vide inf. p. 3. c. 7. Ne sit cupidus, Virum Catholicum, n. 9.

Arduum est, præsentia contemnerè.

ARDVVM est, consueta, ac præsentia relinquentem, ad superiora se potioraque conuertere: illa enim, quæ oculis cernimus, nimirum nos delectant; latentia diffidentiam pariunt; patentia autem sane mala sunt. bonum occultum iis, qui manifestis incumbunt: nec enim forma eius vlla, nec figura. *Mercurius Trismeg. in Pimandro c. 4.*

Si quis mundum omnino odit, hic tristitiam effugit.

S. Climacus gradu 2. de vacuitate affectionum.

Verus philosophus diuitias contemnit.

CRATES ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit; nec putauit se posse & virtutes & diuitias simul possidere. Nos, suffarcinati auro, Christum pauperem sequimur,

1 2 & sub

& sub prætextu eleemosynę, pristinis opibus incubantes, quomodo possumus aliena fideliter distribuere, qui nostra timide referuamus? *S. Hieron. l. 2. c. 2. Gloria.*

Quanto anima delectatur infimis, tanto arcetur à summis: & è contra.

- 22 **Esse** quidem anima sine delectatione non potest. Nam aut delectatur infimis, aut summis: & quanto altiore studio exercetur ad summa, tanto maiori fastidio torpescit ad infima; quantoq; acriori cura inardescit in infimis, tanto tempore damnabili frigescit à summis. *S. Gregor. Moral. l. 18. c. 8.*

De eodem.

- 23 **MENTES** Sanctorum transitoria cuncta despiciunt, & sub se labi, quidquid superbit, quidquid præterit, contemplantur; & quasi in quodam rerum vertice constitutę, tanto sibi omnia subesse conspiciunt, quanto semetipsas verius auctori omnium subdunt: atque inde cuncta transcendunt, vnde creatori cunctorum vera se humilitate substernunt. *Idem Moral. l. 26. c. 13.*

Contemnendū vulgus, quando non vult excusationem nostram admittere.

- 24 **TE** non oportet vulgus contemnere, quin potius suspiciones prauas, statim atq; exortę illę fuerint, intercidere; blande item appellare eos, qui te simulauerint, vt illi etiam iniquissimi sint, ac nihil profus omittere earum rerum, quę prauam de te opinionem delere possint: sin vero, omnia cum

præ-

præstiterimus, noluerint qui nos accusant quiescere, tum demum contemnere eos licebit. Quandoquidem, si quis ob populi dicta, & c. *vt sup. c. 4. §. 2. de Constantia, si quis ob populi, n. 10. S. Chryf. de Sacerdotio l. 5. S. Augustinus ep. 137. Vide optimam epistolam Sixti Papæ 3. S. Gregor. II. q. 3. c. inter verba. c. in cunctis. optimam eiusdem epistolam 39. l. 9.*

Contemnendæ laudes simul, & vituperia,

QVI aliorum edocendorum curam susceperit, **25**
is ne de aliorum laudibus dependeat, neue ab aliis animum despondeat. *Vt sup. c. 1. §. 2. de intentionis puritate, n. 14. & n. 15.*

De eodem.

CONTEMNE laudem hominum, non exquiras **26**
si quis te laudet, aut si quis te vituperet: laus te non seducat, nec vituperatio frangat. Qui laudem non appetit, nec contumeliam sentit. *S. Bernardus de modo bene viuendi serm. 38. de interiori domo c. 38. Vide sup. c. 4. §. de Constantia, à cap. non carebis, n. 11.*

De eodem.

QVID QVID de te dictum fuerit, id ne curato: id **27**
enim non iam tui est arbitrij. *Epictetus in Enchiridio, c. 34. Si quis nunciarit, quendam tibi maledicere, ne refuta quæ sunt dicta; sed responde, eum nescisse cætera tua vitia: nam alioqui non illa solum fuisse dicturum. Idem, c. 48.*

Adulatio statim reijcienda: & quare.

ADVLATIO, si vel ad tempus patienter suscipi- **28**
tur,

tur, augetur, & paulisper demulcet animum, vt à rigore suæ rectitudinis mollescat in delectatione sermonis; sed ne crescere debeat, statim est & sine mora ferienda. *S. Gregor. homil. 2. super Ezechielem.* Quia honores eos, quos viri largiuntur, nisi quis magna cum animi constantia admiserit, morbis duobus contrariis capitur: quorum alter est adulationis seruitus, alter arrogantiae amentia, dum huic sui adulatoribus, palpatoribusque sese submittere, huic propter honores illos, quos illi deferunt, aduersus tenuiores cristas tollere, atque adeo in fastidij, aut contumaciæ barathrum præceps ferri cogitur. *S. Chrysof. de Sacerdotio l. 6.*

Omnia contemnenda illi, qui Deum prægustauerit.

- 29 Si qui se Dei cognitioni dedicant, nec ipsi vulgo placent, nec vulgus illis, insanire demum putantur, risumque reportant; interdum etiam odio habentur, contumeliis afficiuntur, vitæque priuantur, &c. Verumtamen homo Deo deuotus, quamprimum diuinam prægustauerit visionem, obliuioni reliqua omnia tradit, atque etiam, quæ reliquis hominibus mala sunt, huic vt bona contingunt consulenti prudenter, & ad scientiam singula referenti, quodque mirandum est, mala semper in bona penitus conuertenti. *Mercurius Trismeg. in Pimandro,*

cap. 9.

Pro-

Proprium corpus necessario contemnen-
dum ad cælestium contemplationem.

In primis oportet vestem, quam circumfers, ex- 30
nere, indumentum inscitie, prauitatis fundamen-
tum, corruptionis vinculum, velamen opacum,
viam mortem, sensituum cadauer, sepulcrum
circumuertile, domesticum denique furem, qui,
dum blanditur odit, dum odit inuidet. Huiusce-
modi est, quo circumtegeris, umbraculum inimi-
cum. Ad seipsum te deorsum raptat, ne forte con-
spiciens veritatis decorem, atque proximum bo-
num, huius oderis prauitatē; neue huius insidias,
quas in te assidue machinatur, aliquando præsen-
tias. Hoc aciem interiorum sensuum hebetat, &
obtundit, crassa illam materia suffocat, abomina-
bili fastidiosaque ebriat voluptate, ne audias um-
quam, neue perspicias ea, quæ iure & audienda
sunt, & in primis inspicienda. *Idem Mercurius in
eodem Pimandro, c. 7.*

Quæ extra nos, nihil ad nos.

MEMENTO, si ea, quæ natura seruiunt, libera 31
putaris, & aliena pro tuis habueris, fore, vt impe-
diaris, lugeas, perturberis, Deos hominesque ac-
cuses: si id solum tuum existimaris, quod tuum
est, aliena vero quæ aliena sunt, te nemo coget
umquam, nemo impediet, neminem accusa-
bis, neminem criminaberis, nihil ages inuitus,
nemo te lædet, inimicum non habebis, neque
enim vllam calamitatem accipies. *Epicletus in*

Enchiridio c.3. Quisquis igitur liber esse volet, neque cupiat quidquam, neq; auerſetur eorum, quæ penes alios ſunt. Sin minus, ſeruire neceſſe erit. *Idem c.20.* Te quidem alius non lædet, niſi ipſe velis: tum autem læſus eris, cum telæſum eſſe exiſtimaris. *Idem c.37.*

Vide de hac materia totum librum Eccleſiaſta. S. Baſilium in reg. fuſ. c.32. & de conſtitut. monaſt. c.21. & ſerm. de abdicatione ſæculi. Tertullianum de fuga in perſecutione. S. Ambroſium de fuga ſæculi. S. Auguſtinum de contemptu mundi tom. 9. & ep. 36. 38. 39. 45. 180. de fuga in perſecutione. S. Iſidorum de contemptu mundi. S. Bernardum de mutatione aquæ in vinum ſerm. 2. S. Bonauenturam de contemptu ſæculi ad fin. tom. 1. S. Laurentium Iuſtinianum de contemptu mundi. Cardinalem Petrum Damianum de contemptu ſæculi.

Exemplum Caſſiani coll. 24. c. 9. & ſup. hoc cap. §. 2. de Patientia, & §. 3. de Humilitate.

